Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1007

Quelle:
Copyright:

Dum cras eſt Protbus deceſſit Rex ludouicus. Anno CCCLXXVII.
Sceptra Sigismundi vindex conceptio ſtrinxit. M. CCCC. XXXVII.
Peior praga cibis ſcindis bei laſſla Clementis. 1457.

Fallit annus primus; obiit enim *Ludovicus* I. Rex *Hungariae* anno demum 1382. Feſtum *Proti* eſt 11. *Sept.* ſunt tamen, qui Regis mortem 12. adſignant. Ita quidam *Sigismundum* 9. *Dec.* mortuum ſcribunt, cum Feſtum *Conceptionis* B. V. 8. agatur. De *Ladiſlao Poſthumo* dies et annus recte habent. In poſtica: *Magiſter Johannes de Pexrbach dedit 1. flor. Vngar.* Non itaque *Georgius* celeber Mathematicus noſter.

CCCCXXXIII.

R. 2142 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 41. 8. per duas columnas minute, et priore parte nitide exaratus, rubricisque diſtinctus titulum praefert: *Incipiunt meditationes Bernardi.* Ad oram inferam manus συγχρονος adjecit: *Anno domini M°. C°. XIII°. A conſtitutione domus cyſtercen. XV°. ſeruus dei Bernardus Annos natus XXII. cyſtercium ingreſſus cum ſocijs amplius quam XXX. ſub abbate ſtephano chriſti iugo collum ſubmiſit. Meditationes* ipſas *Bernhardo* detrahit Editio *Opp. Mauriana* T. V. *Pariſ.* 1690. *col.* 319. f. Mirum, quod in Codice praeſenti a *Capite* incipiunt, quod in illa Edit. ultimum eſt: *Dies hominis ſicut umbra ſuper terram* &c. et ultimum eſſe debet propter adjunctam δοξολογιαν: *qui vivit et regnat* &c. Ceterum alia etiam diviſione Capita non XV. ſed XVI. cenſet, et lectione abit, cujus ſpecimen ſit ex eodem Capite:

Codex	Editio
Exurgat deus et cadat armatus iſte. Cadat et conuertatur. Iniquus homo eſt, contemptor dei, cultor ſui, amicus mundi, ſeruus diaboli. Quid tibi uidetur? Sed recte ſentis, mecum dicis: Reus eſt mortis, crucifigatur. Noli diſſimulare, noli differre, noli parcere, ſed feſtinanter, audacter, inſtanter crucifige hominem hunc, ſed cruce chriſti, in quo eſt ſalus et uita, ad quem ſi ex corde clamaverit crucifixus, audiet benigne reſpondentem: Hodie mecum eris in paradyſo.	*Exurgat Deus, et cadat armatus iſte: cadat et conteratur inimicus homo, contemptor Dei, cultor ſui, amator mundi, ſervus diaboli. Quid tibi videtur? Si recte ſentis, mecum dices: Reus eſt mortis, crucifigatur. Noli ergo diſſimulare, noli differre, noli parcere: ſed feſtinanter, audacter, inſtanter crucifige hominem iſtum, ſed cruce Chriſti, in qua eſt ſalus, et vita, ad quem ſi ex corde clamaveris, Crucifixus tuus audiet te benigne reſpondens: Hodie mecum eris in paradiſo.*